



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 37. Ex Libro II. de virtutibus impiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

conditionis; & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

XXII. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2. (*gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt.*) intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

XXIII. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, quodam supernaturali, & gratuito dono, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.

XXIV. A vanis, & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia: hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus, & ad Pelagianismum rejicienda est ista sententia.

§. XXXVII.

Ex Libro II. de virtutibus impiorum.

XXV. Omnia opera infidelium sunt peccata.

XXVI. Et Philosophorum virtutes sunt vitia.

XXVII. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio,

E 4

quam

Sæcul. XVI. quam sententiam repetit, & probat per
 A.C. 1567. multa capitula.

XXVIII. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

XXIX. Pelagianus est error, dicere, quod liberum arbitrium valeat ad ullum peccatum vitandum.

XXX. Non solum fures ii sunt, & latrones, qui Christum, viam, & officium veritatis, & vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum in viam justitiæ (hoc est aliquam justitiam) conscendi posse docent, aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

§. XXXVIII.

Ex Libro de Charitate.

XXXI. **C**haritas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

XXXII. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

XXXIII. Catechumenus juste, recte, & sancte vivit, & mandata Dei ob-